



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA S. LUDOVICI SENEGALENSIS

(NOUAKCROTTENSIS)* SEPARATO A PRAEFECTURA APOSTOLICA SANCTI LUDOVICI SENEGALENSIS QUODAM TERRITORIO, NOVA DIOECESIS CONDITUR,

«NOUAKCHOTTENSIS» APPELLANDA. Per amplum territorium praefecturae apostolicae Sancti Ludovici Senegalensis cum oporteret aptius disponere, simul videlicet ut cum civilium regionum divisione magis congrueret, simul ut catholicis eiusdem loci rebus efficaciore ratione consuli posset, opportunum visum est Nobis quendam ex eadem praefectura separare partem eaque novam dioecesim constituere. Hoc enim ut fieret sive Delegatio Apostolica in Africa Occidentali omnesque quorum negotium interesset optaverunt, sive Sacra Fidei Propagandae Congregatio proposuit. Summa propterea qua in universam Ecclesiam pollemus potestate, a praefectura apostolica Sancti Ludovici Senegalensis territorium distrahimus Reipublicae vulgo Mauritania nuncupatae eoque novam dioecesim condimus, *Nouakchottensem* appellandam, quae metropolitanae Sedi Dakarensi suffraganea erit Sacraeque Congregationis de Propaganda Fide iurisdictioni perget esse obnoxia. Sedem suam Episcopus in urbe vulgo Nouakchott cognomi nata ponet, magisterii vero sui cathedram in sacro templo Deo dicato in honorem Sancti Ioseph, quod eadem in urbe exstat. Curet praeterea sacrorum Antistes ut quoadusque Canonorum collegium condi non possit, Consultores dioecesanos ipsorum loco deligat, quorum consilio et ope si oporteat iuvetur. Quod praeterea dioecesis regimen spectat, rerum administrationem, vicarii capitularis sede vacante electionem et alia huiusmodi, Codicis Iuris Canonici praescripta diligenter serventur. Ut haec omnia quae praescripsimus ad effectum adducantur studeat Apostolicus in Africa Occidentali Delegatus, vel ab eo legatus vir, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui vero negotium perfecerit, congrua documenta exarabit ad Sacramque Congregationem de Propaganda Fide mittet, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S.*

Petrum, die duodevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.

IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius	GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN S. Congr. de Prop. Fide Praefectus
---	---

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, *Proton. Apost. Decanus*

Sylvius Romani, *Proton.*

Apoost.

*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 8, pp. 557-558 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana